

Votivæ acclamationes
quibus præclarissimo,
spectatissimo &
eruditissimo vir...

1 Ic 1658 Kempe, Axelius Andreae



National Library
of Sweden

VOTIVÆ ACCLAMATIONES 28
quibus

Praclarissimo, Spectatissimo & Eruditissimo VIRO

**M. AXELIO A.
KEMPE**

Ante hac in Regiâ Aboënsi A-
cademiâ Bibliothecario solertissimo, nunc Phil:
Pract: Professori dexterrimo, felicem introdu-
ctionis festivitatem, quæ Aboæ 9 Novemb.

A. 1658 in Auditorio majori solenni-
ter celebrata est, ex animo
precantur

*Sympatriota & Discipuli ad omnia officiorum
genera propensissimi.*



A B O Æ

Excusæ à PETRO HANSONIO Acad. Typogr.



AXELIUS ANDREÆ AUSTRO-
BOTHNIENSIS

per

ααγγαμια

ANNON AXIS SIDEREUS E TE; AH OBI
L U S T R A.

U No ceu Silyphus saxum molimine montis
Ad juga nequaquam volvere celsa potest;
Impiger at studio mirâ cum dexteritate
Sudat in hoc, donec culmina celsa petat:
Olim Parnassî poterat conscendere Rempè
Culmen, ubi sero cinxit Apollo caput.
Ecce iterum virtus te pulchra ad pulpita vexit
Lycei, juvenes indè docere potes
Auribus instilles moram præcepta juventa
Intus **S** eradas huic alimenta mali,
Natus ut es gelido celsq; sub axe professor,
Bothniacæq; diu gloria gentis eras
ANNON SIDEREUS verè redit AXIS eidem
E TE; AH cordicitus gratulor ergò tibi.
Munus OBI lautè felix per plurima LUSTRA
Ut faveant captis forsq; Deusq; precor.

GABRIEL J. PELDANUS.

Ost - Bothn.

Præ-

PRæclarum equidem est illud Platonis: Non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem sibi vindicat patria, partem parentes, partem amici. Sibi solis vivunt, qui nihil præclare de se sentientes, nec sibi nec alijs profuturi, metu laboris & sudoris totius vitæ suæ curriculo in otio delitescunt. Alij præclarâ eruditione & egregijs animi dotibus imbuti ad honores quidem adspirant: sed onus honori conjunctum esse scientes, sibi solis sapiunt & sua cum alijs communicare recusant. Natura a. longè alio fine homines ratione donavit multisq; ingenij dotibus ornavit, nimirum, ut sibi invicem prodesse & communes utilitates in medium adferre non detrectarent. Verè ergò naturam in hoc ducem sequeris Præclarissime M. AXELI KEMPE, dum sincero virtutis studio occupatus, omnia tua instituta ad patriæ emolumentum, tuorumq; ornamentum dirigens, grave in Regiâ hac universitate docendi munus in te derivari pateris. Quod dum deprædicaturus in T. Claritatis conspectum prodeò, dubito an tibi potius, quam toti reipublicæ huic literariæ regulari debeam. Læti enim te excipiunt docentes, collegam eruditione & rerum experientiâ spectatissimum, sibiq; consuetudine & amicitia

conjunctissimum: Lætiores agnoscunt discen-
tes, præceptorem fide, candore & integritate
præstantissimum; lætissimi autem amplectun-
tur sympatriotæ, fautorem & promotorem ho-
noratissimum. cujus virtus nemini ignota, do-
ctrina doctissimis probata, & favor in singulos
multis magnisq; in rebus declaratus est. Læ-
tus ergo honorificum hoc officium suscipe,
quod, quia virtus satis amplum sui est præmium,
tibi tanquam signum eximiæ virtutis & præcla-
ræ eruditionis tuæ defertur. Quod superest,
Deum ex intimo cordis affectu rogo, ut te sal-
vum & incolumem diu nobis servare & delatum
hoc munus tibi fortunare dignetur.

IOHANNES L. CARLANDER
Bohn.

AXELI *Sophiæ Doct̃or celeberrime Salve*
Salve Philosophiæ spectabilis ordo Coronæ,
Salve Promotor Præceptor candide salve,
Lætitiæ redeunt, redeunt nova gaudia Musis,
Iubilat eximijs Doct̃oribus amula pubes,
Non est, cui nullus tangat præcordia plausus,
Carmina grata Deo diffundit turba novena,
Quod modò sis Patrijs palmaria fama Lycei
Publicit̃us cathedra jurata negotia tractans,
Lator quod meritos modò sis sortitus honores,
Quos tibi propinat labor improbus, inclita virtus
Polliticam spartam quam nactus es impiger orna,

Det

*Det Deus Astripotens per secula multa virefcat
Felix in vitâ, felix post funera. Dixi.*

GABRIEL TUDERUS

HAud sane immeritò Universitatis nostræ amplitudi-
ni, gaudendum & lætandum video, cum tot tantisq;
muneribus, florentissimo, honestissimoq; rerum publi-
carum statu sic resplendeat, ut summam omninò sibi lau-
dem mercatur; nec minus exultandum nobis iudico de
prospero Præclarissimi M. AXELII A. KEMPES suc-
cessu qui nuper dignitatis magnitudine est auctus, adeò
ut ejus jam tantus sit honor, ut nomen ab oblivione vin-
dicare possit, quod sanè munus non casu, nec prensatio-
ne, aut largitione, sed virtute & meritis præclaris adeptus
est, quo etiam egregiè defuncturus, nos tanquam alum-
nos suos, & charissima sua pignora fovebit, bonis insti-
tuet literis, probatis moribus exornabit, & deniq; ma-
ximis afficiet honoribus. Quâ de re Academia nostra
meritò gaudeat & jubilet. Exulta etiam O Bothnia ex te
præclarum natum esse virum, perspectum habens, quan-
tam utilitatem voluptatemq; ex hoc prospero ceperis suc-
cessu. Salve igitur o musarum cultor eximie, virtutum
decus & ornamentum Patriæ, tibi omnem exoptamus
felicitatem, ut munus hoc tibi sit perpetuum, Rei q; pu-
blicæ salutare. Et quanquam omnes invidos jam præ-
tergressus es, culmen honoris adeptus sedulò vovemus,
ne fata Te rebus humanis priùs eximant, quàm immor-
tale nomen cum gloriâ transmittas ad posteritatem.
Vale,

PETRUS I. PICTORIUS.

Immane dictu, quantam ex rerum tuarum successu; Præcla-
rissime Professor; ego cum cæteris, non Patriotis modò, sed
totius

Tenè igitur dubitet quisquam hêic Heliconis
Alumnum
Cœlica pernici & pergere in astra pede.
Vive, vige, flore seros, in Nestoris annos
Et crescat multo fœnore fama tibi.

JOSEPHUS MATHESIUS.



DEcantant docto populares carmine honores
AXELII, musâ condecorantq; piâ:
Idq; ego jam facerem: modò si mea musa valeret
Doctrina clarum condecorare virum.
Auspicium felix KEMPI præclare professor
Est hoc, quo munus suscipis hocce novum.
Salve præceptor, salve decus atq; Lycei,
Te jubeat faustum, qui regit astra Deus.
Ito bonis avibus tua sint tibi fausta Bræbea,
Sitq; honor hic faustus, fautor amande precor.
Te Deus incolumem servet per Nestoris annos,
Civibus ut patrijs commoda multa feras.
Mecum hoc optato quoq; semper Bothnica tellus!
Dic vivas longos jo? patriota dies.

SAMUEL FORSANDER
Bothniensis.

Salve

SALVE Meccenas, vir consultissime salve
Mentem; non graphico gratantis pollice scri-
ptum (bo.

Carmen habe; satis est affectum ostendere ver-
Sis felix voveo nobisq; tibiq; superstes.
Et famæ semper decus usq; ad sidera crescat,
Post mortem saturet te splendida mensa Deo-
rum.

JACOBUS J. PELDANUS.



Maall' sul' riemust maan kielell' toivotan onne/
Lahiat' arvut suuret song' n'hal' asetit airvan /
Nytt tarvois opetat nuoruden taitavis oikain /
Ett caunist virgois ain' kähettä tundisit idzens.
Terwe ole siis moneld' toivot corwin oppenut Herra
Armons aina Jumal' runsast' tall' andacon Herral/
Ett Wirkans wiriäst cans onnen thön tekis oikain
Ja wihtoim cuolles eron ett' sais toivotun armost.

CAROLUS J. SALONIUS.

